

SECTION XXIV.

DE

SVCCO PANCREATICO.

§. 363.

Chymo, postquam pyloro expulsus est, nouae et graues in duodeno ^{a)} (breui sed valde memorabili intestinalis tubi tractu) vicissitudines subeundae sunt, antequam alibilis chylus ex eo separari possit; quo quidem sine denuo varii ordinis humores inquilini ipsi affundi debent, inter quos maxime eminent bilis et succus pancreaticus.

§. 364.

De utroque seorsim; et quidem de pancreatico latice primo agamus loco, quod reliquis binis humoribus resoluentibus, quos hactenus absoluimus, saluare nempe

et

a) LAUR. CLAUSSEN *de intestini duodeni situ et nexu*.
Lips. 1757. 4. recus. in SANDIFORTI *thes.* Vol. III.

Et huius ipsius cl. Leidenensis Professoris *tabulae*
intestini duodeni. LB. 1780. 4.

et gastrico humori tam quod ad indolem quam functionem valdopere affinis videatur.

§. 365.

Quanquam enim non nisi difficulter purus et sincerus sani animantis pancrea-
ticus humor haberi possit, omnia tamen
quae de eius natura curatius indagata
comperimus, eo conspirant, esse eum in
vniuersum salinae quam simillimum. Et
vix hodiernum adhuc operae pretium foret
memorare erroneas hypotheses physiologi-
cas Franc. Syluii *b*), eiusque affeclarum
Regn. de Graef *c*), Flor. Schuyt *d*)
aliorumque, de putatio huius humoris
acore, pridem ab egregiis viris Pech-
lino *e*), Swammerdamio *f*) et Brun-
nero *g*) mascule refutatas, nisi monitorio
docu-

b) de chyli a faecibus aluinis secretionem. LB. 1659. 4.

c) de succi pancreatici natura et usu. ib. 1664. 12.

d) pro veteri medicina. ib. 1670. 12.

e) de purgantium medicamentorum facultatibus. ib. 1672. 8.

f) Observationum anatomicar. collegii priuati Amsteloda-
mens. P. II. in quibus praecipue de piscium pancreate
eiusque succo agitur. Amst. 1673. 12.

g) Experimenta noua circa pancreas. Amst. 1683. 8.

documento essent, quam funesta et mortifera euadere possit praxis medica, nisi saniori physiologiae superstructa fuerit!

§. 366.

Verum et similis huic de qua agimus lymphae ac salivae fons est, *pancreas h*) nempe, quae omnium corporis humani glandularum conglomeratarum post mammam longe maxima est, et vniuersa sui structura proxime cum salivalibus glandulis conuenit; etiam in hoc, quod canales eius excretorii tenuissimis radiculis orsi, sensim confluentes, denique in communem ductum Wirfüngianum abeant.

Penetrat autem hicce ductus duodeni membranas, et succum quem ex ea glandula hauserat perpetuo stillicidio in cauum huius intestini plorat.

§. 367.

Denique et excretio huius succi iisdem viribus promoueri videtur, quas et supra
ad

h) SANTORINI *tab. posthum.* XIII. fig. 1.

ad saluæ excretionem diximus; pressione nempe et stimulo.

Istius nempe ope emulgetur maxime quando ventriculus repletus ipsi pancreati incumbit.

Irritamenta autem sunt lymphæ pancreaticæ effluxum excitantia tum ipse adhuc crudus quasi chymus ex pyloro recens aduena, tum bilis eodem ac pancreaticus succus ostio effluens.

§. 363.

Vfus huius succi eo maxime redire videtur, ut chymum dissoluat, maxime si quid in ventriculo iniquius digestum fuerit; in vniuersum autem vberimo sui accessu eam pultem magis magisque iniquilinæ humorum naturæ assimilet et ad chylicationem aptiorem reddat.